

PHILOSOPHIA.

PHILOSOPHIA. Rerum divinarum et humanarum, can-
sarumque, quibus hae res continentur, scientia (Tul-
lius). Dividitur in *Logicam*, *Metaphysicam* et *Moralem*.

LOGICA. Ars seu scientia directiva rationis humanae
in cognoscenda veritate. Dividitur in *naturalem* et
artificialem, et iterum in *Dialecticam* et *Criticam*.

Dialectica. Pars logicae quae in tradendis
explicandisque legibus recte judicandi unice sistit.
Logica formalis quandoque audit.

Critica. Pars logicae quae principia suprema,
quibus nititur certitudo nostrorum iudiciorum, rima-
tar, ut verum a falso in ipsis iudiciis mens discrimi-
nare valeat. Vocatur etiam *logica materialis*.

Logica naturalis. Aptitudo quaedam a
natura indita, qua vel rudes, sine ullo magisterio, nul-
laque doctrina, de rebus obviis recte judicant ac legi-
time ratiocinantur.

Logica artificialis. Ea quae jam definita
est verbo Logica.

METAPHYSICA. Scientia, quae ex rerum rationibus di-
versimode ultimis, eas persequitur, quae vel re vel
mente a materia sunt magis abstractae, sensumque
transgrediuntur. Dividitur in *generalem* et *specialem*.
Metaphysica generalis *Ontologia* vocatur, et de ente
tractat in genere; metaphysica specialis rursum in
tres partes dividitur, nempe: *Cosmologiam*, quae est
scientia de mundo; *Psychologiam*, quae est *scientia de*
anima; *Theologiam naturalem*, quae est *scientia de Deo*.

MORALIS. Ars seu scientia quae versatur circa actiones
humanas ordinandas invicem, et ad finem. Dicitur